

# EPISTULA LEONINA

## LII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

**ECCE IANUS BIFRONS !**



**Epistula anno MMXIII ineunte edita**

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XLI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
 QUINQUAGESIMAM SECUNDAM (52) !  
 LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS



**SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod anno 2013 ineunte mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam quinquagesimam secundam.*

***Angelae Merkelae orationem in Latinum neque converti, ut laudarem neque ut vituperarem, sed nullâ causâ nisi voluptate publicam orationem modernam transferendi in sermonem Europae antiquum, minimê mortuum.***

*Cum in Epistulâ nataliciâ (EL 51) insint nonnulla spiritualia, nunc in primâ anni ineuntis Epistulâ Leoninâ agimus **de spirituosis** (sc. potulentis). Cicero in quadam epistulâ ad Atticum scriptâ (XVI 1,4) queritur consules Kalendis Ianuariis crapulam suam edormire: In vino et in somno <animi> istorum! (cfr p.6).*

*Îdem orator omnium Latinissimus vehementer invehitur in Marcum Antonium cum alia vitia multa obiciens tum ebriositatem; fusê describit turpissimam inimici sui publicam vomitionem (CICERO Philippica II, XXV, 63):*

Tu istis faucibus, istis lateribus, istâ gladiatorîâ totius corporis firmitate tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie. O rem non modo visu foedam, sed etiam auditu! Si inter cenam in ipsis tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In coetu vero populi Romani negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal inplevit! Sed haec ipse fatetur esse in suis sordibus; veniamus ad splendidiora.

*Apud Plinium maiorem Naturalis Historiae auctorem industriosum legimus Marcum Antonium contra opprobrium ebriositatis se defendisse opusculo, quod inscribatur “De ebrietate suâ” (dolendum est, quod nobis non est traditum). Plinius autem hanc defensionem minoris aestimat dicens illum “id volumen evomuisse” (PLIN.nat.XIV 148):*

...edito etiam volumine de suâ ebrietate, quo patrocinari sibi ausus adprobavit planê, ut equidem arbitror, quanta mala per temulentiam terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante proelium Actiacum id volumen evomuit, quo facile intellegatur ebrius iam sanguine civium et tanta magis eum sitiens.

*At plurimum dolendum est, quod Ciceroni ebriositatem Marci Antonii vehementissime vituperanti non contigit, ut Marci filii sui ipsius eandem cupiditatem morbosam aut sanaret aut saltim coecerneret. Nam Romanorum oratorum philosophorumque principis filiulus refertur potator tam immodicus fuisse, ut soleret binos congios simul haurire et temulentus Marco Agrippae scyphum impingeret (PLIN. ibid.).*

*Manifestum est non solum Ciceronis, sed alterius quoque philosophi Romani studia educandi parum feliciter successisse; nam quis est, qui nesciat, quo evenerint studia Romanum principem educandi Senecana? At quid vituperemus illos educatores antiquos parum felices? Quid de novae aetatis paedagogo omnium illustrissimo, de Iohanne Iacobo Russono (Jean-Jacques Rousseau)? Quam sagaciter, quam subtiliter, quam sapienter docet de animae puerilis mysteriis! At eheu quam miserè ei successit educatio propria: partim paupertate coactus partim studio libertatis inductus non potuit, quin liberos sui ipsius tradidit educatoribus orphanotrophei.*

*Verum enim vero: educandi praecepta dantur permulta, sed eorum perpauca sunt certa atque infallibilia. Si illi viri doctissimi atque humanissimi erraverunt in parvulis educandis, quidnam – eheu – educantes efficiant parentes magistrive mediocriter tantum docti et eruditi? Quatenus nos hodierni educatores valeamus impugnare periculis istis omnino novis, quae immineant parvulis et adolescentibus? Exempli gratia commemoro computatri interretisque abusum, quo nuper cerebri investigator quidam scripsit effici adolescentium «dementia digitalis» (quam vocat). At in praesenti haec sufficiant de educatione.*

*Porro Plinius maior haud pauca scribit de ebrietatis periculis, quae vobis commendo, ut diligenter perlegatis (p.21sq.). Nec insipienter idem polyhistor dicit bibendi consuetudine augeri aviditatem; aptè affert verba cuiusdam Scytharum legati, qui dicit Parthos quanto plus biberint, tanto magis sitire.*

*Post Ciceroniana et Pliniana afferimus recentiora: Agitur **de pentapomate** (theod. “Punsch”), de nominis anglici theodiscique origine, de eiusdem potulenti confectione, praesertim de pentapomate regali (theod. “Feuerzangenbowle”) concoquendo; nec omittimus locum fabulae Buddenbrookianorum, quam scripsit Thomas Mann, ubi memoratur pentapomatis Suetiani immodicè sumpti effectûs iniucundi.*

*Iam audio sobrietatis abstinentiaeque perpetuae praedicatores reclamantes: ‘Quid hoc sibi vult? Quidnam nunc commendas potulenta,*

*quae supra exemplis gravioribus allatis ipse dixisti esse periculosa, immo, quibus infortunia et scelera efficiantur horrenda?’*

*Ne obliviscaris, cara Lectrix, care Lector, poetas vel ingeniosissimos praedicavisse verbis sollemnibus ebriamina, id est potiones alcoholicas. Nonne novisti versûs Horatii insignes, quibus suadet, ut amica sapiat et vina liquet (carm.I,11,6) et quibus enuntiat nunc (i.e. Marco Antonio Cleopatraque devictis) bibendum esse et quibus Telamonem inducit dicentem: “O fortes peioraque passi/ mecum saepe viri, nunc vino pellite curas” (carm.I 6,30sq.); ne obliviscamur iocosum carmen illud illustrissimum (III,21), ubi Horatius hymnicê laudans vas vini nomine “piae testae” alloquitur et sescenta alia verba, quibus poetae vinum praedicent. Nec desunt poetae, qui praedicent pentapoma, e.g. Iohannes Wolfgangus de Goethe, Fridericus Schiller, necnon Ernestus Theodorus Amadeus Hoffmann, vir tribus artium generibus insigniter praecellens: poeticâ, musicâ, figurativâ.*

*Scilicet etiam in potionibus alcoholicis bibendis valeat vigeatque illa Platonica virtus cardinalis, quae appellatur σωφροσύνη sive temperantia sive moderatio, observanda sit illa «aurea mediocritas», quae est inter nimium et parum: In medio stat virtus!*

*Praeter ebrietatem inebriantesque potiones hac Epistolâ tractantur etiam **mythica**: Pergo enim legentibus praebere mythos Graecos a Gustavo Schwab enarratos et a me Latinê redditos. Hac in Epistolâ Leoninâ agitur de Medeâ magâ formosâ et versutâ, quae amore Iasonis inducta sibi non temperat, quin committat scelus horribile fratricidii. Ceterum hic mythus fratricidalis ab Ovidio aliter narratur quam a Gustav Schwab Apollonium Rhodium secuto. Naso enim fingit aetiologiam etymologicam: nomen urbis Tomis (in qua exulat) duci a Graeco verbo τέμνω i.q. secō; nam eodem loco “sororem membra fratris consecuisse”. Compares, quaeso, textum Gustavi cum carmine Nasonis.*

*Denique versus finem Epistolae Leoninae quinquagesimae secundae agitur **de vocabulis**, qualia tu, cara Lectrix, care Lector, certo scis a me ex compluribus annis in his Epistulis Leoninis afferri laboriosê collecta excerpta conficta. Iam pridem, cum mihi Caelestis seu Iosephi Antonii Eichenseer discipulo maximê cordi sit lexicographia neolatina, cupio condere lexicon vernaculo-Latinum maius.*

*Nuper **Carolus Augustus Neuhausen**, editor Annalium Neolatinorum Bonnensis, mihi scripsit haec quae sequuntur:*

*“Ceterum spero lexicon ipsum a Te iam diu praeparatum nulla interposita mora foras denique datum iri. Itaque praestat fortasse easdem hasce praemeditationes, quas obtulisti, eidem ipsi dictionario praemittere, quod a Te solo concinnandum nos omnes*

novae Latinitatis amantes desideramus. Quod Deus optimus maximus bonum felix faustumque iubeat esse.“

*Gratias ago Carolo Augusto, quod verbis benevolis me adhortatur ad rem iam pridem mihi propositam. Haud immemor quidem sum carminis illius quo Scaliger humanista celeberrimus dicit lexicorum confectionem esse poenam gravissimam:*

„Si quem dura manet sententia iudicis olim,/ Damnatum aerumnis suppliciisque caput:/ Hunc neque fabrili lassent ergastula massa,// Nec rigidas vexent fossa metalla manus:/ L e x i c a contexat: nam cetera quid moror? Omnes/ Poenarum facies hic labor unus habet“ (Iosephus Scaliger, Sylvae carminum carmen XXXIX).

*At pace Scaligeri dicendum est interim novis adiumentis technicis, velut computatro interretique (cuius pericula supra iam leviter attigimus – iterum commoneo tenendam esse auream mediocritatem) labores lexicographicos multo faciliores factos esse.*

*Restat, ut Tibi, cara Lectrix, care Lector, vota quam optima prosequar in annum ineuntem dicenda.*



***Festîna lentê et pancraticê vale et perge mihi favere!***

***Medullitus Te salutat***  
**Nicolaus Groß**  
**LEO LATINUS**




**<http://www.leolatinus.com/>**

**LEO LATINUS**  
**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d.4. m.Ian. a.2013**

## **ARGUMENTA**

1. CICERO DE KALENDIS IANUARIIS CRAPULOSIS
2. ANGELA CANCELLARIA IN ANNUM INEUNTEM QUAE DIXERIT
3. DE EBRIETATIS PERICULIS  
PLINIUS MAIOR QUID SCRIPSERIT
4. PENTAPOMA QUID SIT – PENTAPOMA REGALE
5. MYTHI GRAECORUM (XXVII)
6. OVIDIUS DE MORTE ABSYRTI FRATRIS MEDEAE
7. VOCABULA AUTURGICA (IV)
8. VOTA IN ANNUM **MMXIII** INEUNTEM DICENDA.



## **M. T. CICERO** **(106-43 a.Chr.n.)**

**QUID ERGO? AD KALENDAS IANUARIAS IN PANSAS SPES?  
ΛΗΡΟΣ ΠΟΛΥΣ. IN VINO ET IN SOMNO <ANIMI> ISTORUM!**

*Epistula ad Atticum XVI,1,4: His verbis in Puteolano VIII Id. Quint. anni 44 a.Chr.n. scriptis Cicero dicit Gaium Vibium Pansam Caetronianum et Aulum Hirtium consules anni 43 a.Chr.n. die anni ineuntis primo crapulam edormituros esse; itaque se de illis nullam spem concipere. Verba Graeca, quae sunt λῆρος πολύς, valent "blateratio multa" sive potius "Ineptiae!" sive "Gerrae!"*

## Merkeliana Allocutio In Annum Ineuntem Habita

*Berolino ex urbe* – Cancellaria foederalis *Angela Merkel*, quae est Christianae Unionis Democraticae (CDU), allocutione suâ in annum ineuntem habitâ cives adhortata est, ut, quamvis condiciones oeconomicae fierent difficiliores, tamen essent animo forti atque confidenti. Ecce ipsa verba ab eâdem muliere facta:



Cancellaria Angela Merkel in annum ineuntem allocutionem habens

«Carae Concivissae Concivesque,

annus 2013 (bis millesimus tertius decimus) erit annus multorum iubilaeorum quinquagenariorum. Ante 50 (quinquaginta) annos Hammaburgi receptum est cinema anni ineuntis classicum, c.t. "Cena uni parata" ("*Dinner for one*"). Ante 50 annos fuit primus dies ludendi ligationis pedifollii foederalis. *Valtherus Bruch* Germanus inventor televisionisque technurgus exhibuit „PAL“ methodum suam televisorii versicoloris. Ante quinquaginta quoque annos *Iohannes F. Kennedy*, praeses Americae, Berolino in urbe muro divisâ fecit verba haec famosissima: "Ego sum Berolinensis." Eodem quoque anno *Carolus de Gaulle* pro Francogalliâ, *Conradus Adenauer* pro Germaniâ subscripserunt foederi Elyseo. Hôc foedere confirmaverunt utrumque populum post duo horribilia bella mundana velle unum alteri reconciliari.

In initio saepe pauci tantum sunt, qui progrediantur, qui curent, ut lapis provolvatur et fiat mutatio necessaria. „Qui praestat animum audacem, exemplo efficit quoque, ut audaces fiant alii“. Hac sententiâ *Adolfus Kolping* reformator socialis rem acu tetigit.



Etiam hodie in terrâ nostrâ multi sunt homines audaces necnon prompti paratique ad auxilium ferendum. Iuvenis quidam particeps dialogi mei civium Heidelbergensis mihi narravit lusorem gregis sui pedifolliarii voluisse e scholâ erumpere. Tum se suum exercitorem aditum rogavisse, ut toto grege convocato omnes collusores iuberet explicare, quare bonum esset in scholam ire. Haec res proximo in exercitio facta feliciter successit. Collusor enim non e scholâ erupit. Haec est una ex illis rebus permultis non magno cum spectaculo quidem, sed ita factis, ut appareret, quomodo societas nostra cohaereat.

Amici et vicini sunt, qui auxilium ferant reive malo succurrant. Familiae sunt, quae cottidie magnâ cum diligentîâ curent parvulos necessariosve suos. Syndicales<sup>1</sup> atque negotiatores sunt, qui unâ studeant locis operandi confirmandis.

Idem homines multique alii efficiunt, ut societas nostra fiat humana et prospera. Ita fieri potuit, ut hîc anno portio disoccupatorum esset minima, occupationis portio maxima omnium, quae fuerunt ex illo tempore, quo Germania est readunata. Eo factum est, ut multa centena milia familiarum victum quaestumque certum sibi parare possint ideoque a ceteris hominibus comprobentur. Necnon eâdem re iuvenes nostri pro certo habent se posse erudiri, se accepturos esse locum operandi ideoque se curriculum vitae feliciter inchoaturos esse.

Tamen scilicet sciam etiam multos annum ineuntem inchoaturos esse quibusdam cum curis. Profecto condiciones oeconomicae proximo anno futuro non fient faciliores, sed difficiliores. At istâ re oportet ne animum demittamus, immo oportet ut incitemur.

Ad hanc rem illustrandam velim vobis narrare de duobus parvis miraculis medicinalibus: Brevi ante cognovi puerum decem annos natum, qui natus est ferê surdus. Deinde instrumento recentissimo implantato hodie idem puer potest modos musicos audire et sine ullâ difficultate scholam frequentare.

Ut copias rei familiaris cohaerentiamque socialem stabiliamus, egemus aequilibrio apto commodoque. Egemus hominibus, qui parati sint ad praestandum egemusque securitate sociali omnibus praebendâ.

Quantum valeat illud aequilibrium, apparet etiam discrimine aeris alieni publici europaeo. Reformationes, quae ut fierent decrevimus, valere incipiunt. Tamen oportet pergamus ûti patientiâ. Nam discrimen nequaquam iam est superatum. Nec a ceteris nationibus satis multum factum est, ut mercatûs pecuniarii melius custodirentur. Gubernationes

<sup>1</sup> \*syndicalis, -is m. [Bacci a.1963, 713 ] Gewerkschafter.

civitatum nondum satis didicerunt e calamitoso discrimine pecuniario, quod factum est anno 2008 (bis millesimo octavo). At oportet ne umquam iterum agatur responsabilitate tam pravê neglectâ. Nam in oeconomîâ mercatûs sociali homines oportet possint confidere in re publicâ ordinem tutante.

Carae concivissae concivesque,

ipsa hac in horâ oportet cogitemus etiam de iis, qui curant securitatem nostram, et ipsâ in patriâ nostrâ et procul ab eâdem. Militissae nostrae militesque, astyphylacissae astyphylacesque necnon adiutores civiles, qui magnis saepe cum difficultatibus propriis officium suum explent nobis. Equidem cum illis collocuta scio, quanti aestiment nos domi versantes de se cogitare. His hominibus hodierno vespere velim gratias agere eximias.

Velim confidatis anno proximo futuro sententiâ *Democriti* philosophi Graeci acceptâ. Îdem enim dixit: „*Ad agentes in initio valet animus fortis, in fine demum fortuna.*“

His consideratis anno 2013 (bis millesimo tertio decimo) unâ adiuvemus servemusque illos homines, quibus difficile est vivere, qui solitudine aut morbo laborent aut egeant solacio.

Unâ annum novum faciamus annum, quo denuo demonstramus virtutes nostras maximas: cohaerentiam societatis nostrae facultatemque nostram, qua semper semperque novas ideas excogitemus, quibus usi oeconomiam nostram augeamus. Haec ut efficiamus si nobis contigerit, pergant bene succedere Germaniae studia et prospera et humana.»

**Allocutionem in annum 2013 ineuntem**

**quam habuit *Angela Merkel* cancellaria Germaniae foederalis**

**e theodisco sermone in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß**



**LEO LATINUS**

**DE EBRIETATIS PERICULIS**

## PLINIUS MAIOR QUID SCRIPSERIT

Naturalis Historia XIV, 137-148.

xxviii 137 Ac si quis diligentius reputet, in nullâ parte operosior vita est — ceu non saluberrimum ad potûs aquae liquorem natura dederit, quo cetera omnia animalia utuntur; at nos vinum bibere et iumenta cogimus — tantoque opere, tanto labore et inpendio praestat quod hominis mentem mutet ac furorem gignat, milibus scelerum ob id editis, tantâ dulcedine, ut magna pars non aliud vitae praemium intellegat.

138 Quin immo, ut plus capiamus, sacco frangimus vires, et alia inritamenta excogitantur ac bibendi causâ etiam venena concipiuntur, aliis cicutam praesumentibus, ut bibere mors cogat, aliis pumicis farinam et quae referendo pudet docere.

139 Cautissimos ex iis in balineis coqui videmus exanimesque efferri, iam vero alios lectum expectare non posse, immo vero nec tunicam, nudosque ibi protinus et anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostentationem virium, ac plena infundere, ut statim vomant rursusque hauriant, idque iterum tertiumque, tamquam ad perdenda vina geniti et tamquam effundi illa non possint nisi per corpus humanum!

140 Huc pertinent peregrinae exercitationes et volutatio in caeno ac pectorosa cervicis repandae ostentatio. Per omnia haec praedicatur sitis quaeri. Iam vero quae in bibendo certamina, quae vasa adulteriis caelata, tamquam per se parum doceat libidines temulentia! Ita vina ex libidine hauriuntur, atque etiam praemio invitatur ebrietas et, si dis placet, emitur. Alius, ut quantum biberit, tantum edit, pretium vinolentiae lêge accipit, alius quantum alea quaesierit, tantum bibit.

141 Tunc avidi matronam oculi licentur, graves produnt maritum, tunc animi secreta proferuntur. Alii testamenta sua nuncupant, alii mortifera elocuntur rediturasque per iugulum voces non continent — quam multis ita interemptis! — volgoque veritas iam attributa vino est. Interea, ut optimê cedat, solem orientem non vident ac minus diu vivunt.

142 Hinc pallor et genae pendulae, oculorum ulcera, tremulae manûs effundentes plena vasa — quae sit poena praesens —, furiales somni et inquietas nocturna praemiumque summum ebrietatis libido portentosa ac iucundum nefas. Postero die ex

ore halitus cadi ac rerum omnium oblivio morsque memoriae. Rapere se ita vitam praedicant, cum priorem diem cotidie perdant; illi vero et venientem.

143 Tiberio Claudio principe ante hos annos XL institutum, ut  
ieiuni biberent potiusque vinum antecederet cibos, externis et  
hoc artibus ac medicorum placitis novitate semper aliqua sese  
commendantium.

144 Gloriam hac virtute Parthi quaerunt, famam apud Graecos  
Alcibiades meruit, apud nos cognomen etiam Novellius  
Torquatus Mediolanensis, ad proconsulatum usque praeturae  
honoribus gestis, tribus congiis — unde et cognomen illi fuit —  
epotis uno impetu, spectante miraculi gratiâ Tiberio principe,  
in senectâ iam severo atque etiam saevo alias.

145 Et ipsi iuventa ad merum pronior fuerat, eâque  
commendatione credidere L. Pisonem urbis curae ab eo  
delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem  
continuasset apud ipsum iam principem. Nec alio magis  
Drusus Caesar regenerasse patrem Tiberium ferebatur.

146 Torquato rara gloria, quando et haec ars suis legibus constat,  
non labasse sermone, non levatum vomitione nec aliâ  
corporis parte, dum biberet, matutinas obisse sine iniuriâ  
vigilias, plurimum hausisse uno potu, plurimum praeterea aliis  
minoribus addidisse, optimâ fide non respirasse in hauriendo  
neque exspuisse nihilque ad elidendum in pavementis sonum  
ex vino reliquisse, diligenti scito legum contra bibendi  
fallacias.

147 Tergilla Ciceronem M. F. binos congios simul haurire solitum  
ipsi obicit Marcoque Agrippae a temulento scyphum inpactum.  
Etenim haec sunt ebrietatis opera. Sed nimirum hanc gloriam  
auferre Cicero voluit interfectori patris sui M. Antonio.

148 Is enim ante eum avidissimê adprehenderat hanc palmam  
edito etiam volumine de suâ ebrietate, quo patrocinari sibi  
ausus adprobavit planê, ut equidem arbitror, quanta mala per  
temulentiam terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante  
proelium Actiacum id volumen evomuit, quo facile intellegatur  
ebrius iam sanguine civium et tanta magis eum sitiens.  
Namque et haec necessitas vitium comitatur, ut bibendi  
consuetudo augeat aviditatem, scitumque est Scytharum

legati, quanto plus biberint, tanto magis sitire Parthos.

**VERBA PLINII MAIORIS DE EBRIETATIS PERICULIS  
SCRIPTA**

**EXCERPSIT**

**Nicolaus Groß**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

## **PENTAPOMA QUID SIT**

**pentapōma, pentapōmatis n.** est potio alcoholica originaliter ex quinque partibus commixta et calefacta (sanscritê «pañca» et hindustanicê «pañc» sunt i.q. «quinque», cfr Kluge, *Etymologisches Wörterbuch der deutschen Sprache*, Berlin 1975, p.570, s.v. Punsch; cfr Graecum verbum πέντε; Graecê τὸ πῶμα est i.q. potulentum). Ausus sum nomen Graecanicum confingere secundum exemplum nominis, quod est «\*Pentapotamia» (i.e. **pañjāb**, terra quinque fluminum) a Christiano Lassen indologo conficti (cfr *VOX LATINA* fasc.128/1997, *De ariera...II* (N.GROSS) p.218). cfr etiam «pentathlon», i.e. certamen quinque generum rei athleticae faciendum. Neologismi «palopuntzia» et «pantziun» in *Lexico Auxiliari* (s.v. Punsch) allati parum placent, quia videntur absoni et parum Latini. Theodiscê dicitur *der Punsch* (pl. *die Pünsche*). Quinque partes, e quibus commiscetur pentapoma, sunt \*arracium, saccharum, sucus \*limonum, condimentum, aqua (cfr Kluge, loc.cit.). Haec vox e linguâ indoariâ in Anglicum sermonem translata (secundum Anglicam orthographiam per –u- scripta), ex eodem (litterâ –u- servatâ, pronuntiatu mutato) est in sermonem theodiscum introducta. A *Goethe* et *E.T.A. Hoffmann* pentapoma praedicatur. Fridericus Schiller poeta scripsit poema pentapomaticum (Kluge, loc.cit. p.570), cuius verbis initialibus dicit quattuor tantum esse elementa pentapomatis («*Vier (sic !) Elemente, innig gesellt*»); videtur omisisse condimentum. –

Nomen pentapomatis commonet nos tituli libelli cuiusdam a *Michael Ende* scripti, qui abundat argutiis facetissimi salis («*Der satanarchäolügenialkohöllische (sic !) Wunschpunsch*», Stuttgart 1989, K. Thienemanns Verlag). Titulus huius fabulae continet adiectivum magicum, quod ab auctore dicitur «*Perspektivwort*» (verbum perspectivale), quia similiter compositum est ac telescopium generis vetusti, quod appellatur «perspectivum». Titulum fabulae magico-monstruosum his ferê verbis ausim convertere in Graeco-Latinum: «De \*pothopentapomate \*satanarchaeopseudoenorcino». *Michael Ende* in toto ferê orbe terrarum innotuit fabulis puerilibus, quas inscripserat «*Momo*» et «*Die unendliche Geschichte*» (i.e. «Fabula infinita»). Eaedem autem fabulae mirabiles conversae sunt in triginta linguas, sed nondum in Latinam. –

Pentapoma in Germaniâ notissimum theodiscê plerumque appellatur *Feuerzangenbowle*. Tamen nomen *Bowle*, quod est Anglicae originis, non bene quadrat ad hanc potionem appellandam. Nam *Bowlen* solent esse potiones vinosae non calefactae. Convenientius nomen est semi-Francogallicum *Punsch royal*. Hoc imitemur nomine Latino confingendo, quod est : **\*pentapoma regale** = *Punsch royal, Feuerzangenbowle*. Ad potulenta denominanda, quae theodiscê (sive Anglicê) «*Bowlen*» sive «*bowls*» dicuntur, propono neologismum, qui est : **\*lecanoenus**, ī m. (a Gr. λεκάνη, quod valet patinam, lancem (Anglicê «*bowl*») et Gr. οἶνος, i.e. vinum. Exempla sint haec: **\*lecanoenus maiālis** («*Maibowle*»), **lecanoenus +asperulae** («*Waldmeisterbowle*») **\*lecanoenus Baeticus** («*Sangria*»). Opus Henrici Spoerl, quod inscribitur «*Die Feuerzangenbowle*» (ed. a.1935), est fabula romanica, qua hilariter narratur de ineptiolis magistrorum cuiusdam gymnasii et technis discipulorum iocosis. Secundum argumentum eiusdem fabulae a.1944, saeviente secundo bello mundano, factum est cinema in Germaniâ valdê illustre. In quo cinemate persona praecipua poetae, qui discipuli specie sibi inductâ in scholâ nectit dolos, geritur ab *Henrico (Heinz) Rühmann* (+1994), histrione in Germaniâ maximê populari. In «Speculo Hammaburgensi» («*Der Spiegel*», Nr.2/5.1.1998, p.148), hebdomadali periodico politico-culturali in Germaniâ notissimo, lêgimus hoc cinema in universitatis Hammaburgensis auditorio maximo a studentibus in conventibus hilaribus et sollemnibus magno cum entusiasmo iterum iterumque spectari. Quibus in spectaculis pentapoma potari, lampades et candelas mirificas accendi. Multos studentes hoc cinema toties spectasse, ut textûs ferê integros memoriter tenerent. Nunc autem, candida lectrix, candide lector, accipe praeceptum pentapomatis regalis concoquendi (cfr Lexicon culinare Erhardi Gorys, DIT-Küchenlexikon, 3.ed. 1980 s.v. *Feuerzangenbowle*):

«Vinum rubrum unius lagoenae in ollâ calefacito. Ollae transponito prunicipem (\*pruniceps, prunicipis f. = *Feuerzange*, i.e. forceps, qua comprehendi possint prunae, i.e. carbones candentes), cui imponito petasum saccharinum (theod. *Zuckerhut*). Saccharo infundito aut rhomium (theod. Rum) aut \*arracium (= *Arrak*) fortissimum, accendito. Nunc saccharum liquefactum destillabit in vinum, ut potio fiat aromatica».

**\*pentapoma rubrum** (theod. *Glühwein*), vinum rubrum cinnamomo et caryophyllo et aliis condimentis conditum et calefactum, quod plerumque bibitur tempore hiemali, Festo Natalis Domini appropinquante. cfr Gorys , op.mem., p.165: «Ollae indito tria cochlearia sacchari, aliquantum putaminis citrini, sucum unius citri, quinque caryophylla, tres micas cinnamomi, unam lagoenam vini rubri. Calefacito, sed caveto, ne ebulliat».



**\*pentapoma Suetianum**, theod. *Schwedenpunsch*. Quod memoratur a Thomâ Mann in ingeniosâ fabulâ romanicâ, quae inscribitur «*Die Buddenbrooks*» (De gente Buddenbrookianorum). Ibi Christianus, unus e Buddenbrookianis, dolorosâ cum subtilitate narrat de crapulâ, qualis efficitur pentapomate Suetiano immodicê potato. En accipe praecepta Suetiani pentapomatis conficiendi (Gorys, op.mem., p.457):

«Praeceptum I: Commisceto litram dimidiam arracii et dimidiam litram albi vini Portucalensis, sucum citrinum indito. Quam potionem apponito praegelidam. – Praeceptum II: Ducenta gramma sacchari dissolvito dodranti litrâ aquae ebullientis. Addito unam lagoenam vini albi et dimidiam litram arracii. Quod pentapoma calefacito et apponito fervidum».

**\*pentapoma theanum**, theod. *Teepunsch*, v. Gorys, op.mem., p. 496sq.:

«Curato, ut una lagoena vini rubri, quattuor cochlearia sacchari, duo caryophylla, una mica cinnamomi breviter ebulliant, addito dimidiam litram theae nigrae recenter paratam. Perficito pentapoma octavâ parte litrae arracii aut rhomii infusa».

## **PENTAPOMA REGALE**

i.e. vulgo: *Feuerzangenbowle*, fr. *punsch royal*



Heinz Rühmann personam cinematicam „Die Feuerzangenbowle“ gerens praecipuam.



**Pentapoma regale cum petaso saccharino ardente**



**lamina ferrea, cui petasus imponitur**



**Ecce petasus saccharinus ardens laminae ferreae impositus**

Originaliter ad pentapoma conficiendum adhibita erat pruniceps (theod. *Feuerzange*), id est forceps, qua prunae ex igne foci aut camini exempti adhiberentur ad fumisugium aut alia accendenda. Hoc instrumentum, cuius commonet nomen potulenti theodiscum, hodie non iam adhibetur ad eius confectionem. Loco eius nunc adhibetur lamina ferrea foraminata patinae superposita, ut saccharum igne liquefactum per foramen destillet in vina commixta.

**DE PENTAPOMATE RETTULIT  
NICOLAUS GROSS  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>



***Recitator***

Fabula romanica  
quam theodiscê scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ  
a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completæ adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM  
Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6.  
TOLLE LEGE !**

### **MYTHI GRAECORUM (XXVII):**

#### **Quomodo Argonautae unâ cum Medeâ effugerint.**

Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscê narrati, a Nicolao Groß Latinê redditi.

Interim Aietes omnesque Colchi audiverant de Medeae amore, factis, fugâ. Iidem armati cum in forum convenissent, mox magno cum strepitu per ripam fluminis devecti sunt: Aietes vectus est vehiculo insidens firmê fabricato, equis a Sole sibi donatis; manu sinistrâ scutum tenens rotundum, dextrâ longam facem piceam; ad eius latus apposita erat ingens lancea. Habenis equorum utebatur Absyrtus eius filius. Ostium autem fluminis cum advenirent, navis a remigibus indefessis promota iam procul vehebatur in mari alto. Elapsae sunt regi fax et scutum; is

manibus versus caelum sublatis Iovem et Solem testes malefactorum allocutus subditos funestè monuit: illi nisi filiam terrâ marive comprehensam sibi adduxissent, ut ad libitum suum ulcisceretur, fore, ut omnes istud luerent capitibus. Colchi territi ipso eodem die navibus in mare tractis, vèlis extensis in altum profecti sunt; eorum classis, cui praepositus erat Absyrtos, similis erat ingenti examini avium, quo super mare volitante aer obscuraretur.

Vela Argonautarum inflata sunt vento secundissimo; Aurorâ iam tertiâ navem alligaverunt ad flumen Halyn in ripâ Paphlagönum. Hôc loco Medeâ iubente sacrificaverunt deae Hecatae, a qua servati essent. Tum eorum dux et alii quoque heroes recordati sunt Phineum senem vatem sibi suasisse, ut reverterentur viâ aliâ ac venissent; at locorum nemo erat peritus. Nunc eos docuit Argos filius Phrixi, qui hoc ex scriptis sacerdotum acceperat, iis navem esse dirigendam versus Histrum flumen, cuius fontes procul in montibus Rhipaeis murmurant et quod copiam aquarum dimidiam infundit Mari Ionico, alteram autem partem dimidiam Siculo. Argos cum hoc suasisset, in eâ directione, quam ut sequerentur necesse erat, subito apparuit lâtus arcus caelestis, nec desinebat ventus secundus flare nec arcus desinebat lucere, usque dum feliciter attingerent ostium fluminis Histri Ionicum.

At Colchi persequi non desinentes navibus levioribus velocius velificati ostium Histri etiam prius quam heroes advenerunt. Quo loco ad varios sinûs insulasque Histri effluentis distributi insidiantes impediverunt, ne heroes ancorâ in fluminis ostio iactâ exire possent. Argonautae multitudinem Colchorum timentes ad litus appulsi cuidam fluminis insulae se coniecerunt; Colchis autem secutis proelium imminuit. Tum Graeci in periculum adducti de condicionibus pacis agere coeperunt; inter Colchos Graecosque convênit, ut posteriores quidem vellus aureum, quod rex Iasoni heroï laboris exanclati praemium pollicitus esset, secum auferrent; at Medeam ut in alterâ insulâ in templo Dianae exponerent, usque dum iustus rex vicinus arbiter decerneret, utrum illi ad patrem redeundum esset an heroes sequeretur in Graeciam. His auditis virgo coepit sollicitari curis amaris; virum amatum cum statim seorsum duxisset ad locum, ubi a nemine sodalium audiretur, lacrimis obortis: „Iason“ inquit „quid de me decrevistis? Num rebus secundis factum est, ut tibi omnia in oblivionem caderent, quae adversis coactus sancto iure iurando eras pollicitus? Spe inducta ego temere honoris oblîta relîqui patriam et domum et parentes, qui mihi fuerant carissimi. Ad te servandum tecum in mari circumvago; meâ intemperantiâ factum est, ut acciperes vellus aureum; tui causâ infamiam nominis muliebris suscepi ferendam, ideo te sequor tua puella, tua uxor, tua soror in terram Graecam. Ideoque tutare me, noli me solam relinquere, noli me remittere regibus ad arbitrium

faciendum. Si ille arbiter me patri meo addixerit, perdita ero; si ita factum erit, quam iucundus tibi erit reditus? Quomodo uxor Iovis, Iuno, hoc comprobaverit, ea, de qua tu gloriaris? Immo, si me reliqueris, aliquando ad miseriam redactus me recordaberis. Si ita feceris, vellus aureum tamquam somnium tibi ut auferatur ad inferos! Ut Furiae meae te sic e patriâ expellant, ut ego tuâ pravitate expulsa sum e patriâ meâ!“

Medea cum haec dixisset saevissimè affecta, cogitavit navem accendere et omnia comburere seque ipsam in ignem praecipitare. Medeam cum conspiceret, Iason eam coepit vereri conscientiam morsus; verbis placidis: »Collige animum« inquit »mea bona! Ego ipse illud foedus pro vero ratoque non habeo! Nihil enim studemus facere nisi proelium differre, quia ingens multitudo hostium sumus circumdati, tui causâ. Nam omnes incolae huius regionis, quia Colchorum sunt socii, Absyrtum fratrem tuum volunt adiuvare, ut te captivam secum ad patrem reducat. At nos omnes si nunc pugnam incohaverimus, miserrimè peribimus etiamque minus spei tibi reliquum erit, si nos mortui te hostibus reliquerimus praedam. Immo oportet illud foedus specie tantum pangatur, ut Absyrtos pereat in insidias introductus; nam duce mortuo incolae propinqui non iam volent Colchis auxilium ferre.« Sic blandienti Medea consilium dat atrox: »Audi me. Semel iam peccavi et fato obcaecata feci mala. Cum ad probitatem non iam possim redire, non possum quin pergam facere nefaria. In proelio tu arceas Colchorum lanceas; equidem fratrem fraude persuadebo, ut se tradat in manûs tuas. Tu recipe illum cenâ pollucibili; ego si praeconibus persuasero, ut illum mihi solum relinquunt mecum collocuturum, tu – resistere non potero – illum interficias Colchisque proelium inferre.« Hac ratione ambo Absyrto paraverunt insidias gravissimas.

Iidem Absyrto multa dona hospitalia miserunt, quibus interfuit magnifica vestis purpurea a regina Lemni Iasoni donata, quam olim Gratiae ipsae deo Baccho confectam fragrantiam caelesti imbuerant; ex quo tempore deus ille nectare inebriatus in eadem cubuerat. Praeconibus persuasit callida virgo, ut Absyrtos in noctis tenebris veniret in alteram insulam ad templum Dianae et ut ibi dolum excogitarent, quo Absyrtos reciperet vellus aureum regique patri suo referre posset; nam Medea simulavit se a Phrixi filiis violenter traditam esse peregrinis. Nuntiis pacificis sic deceptis tantam copiam oleorum magicorum vento inspersione, ut eorum fragrantiam de monte omnium altissimo alluci posset bestia vel ferissima. Ita factum est, ut Medea exoptaverat. Absyrtos promissis maximè sollemnibus fraudatus nocte tenebrosâ ad alteram insulam transnavigavit. Ibi cum sororem conveniret, eiusdem subdolosae animum experiebatur, num reverâ dolum in peregrinos neceret; at hoc faciebat, quasi puer infirmus vellet vadare per tumidum torrentem, quem ne vir

quidem robustus transgredi posset impune. Nam medio in colloquio cum maximê soror fratri omnia promitteret, subito Iason ex insidiis se proripuit gladio dextra. Virgo autem oculis aversis se velamine obtexit, ne aspiceret, quomodo frater necaretur. A Iasone ictus filius régis tamquam victima decidit, ut Medae aversae vestis velamenque macularentur sanguine fraterno. At Furia, quae nihil non videt, e latebris suis oculo funesto spectavit facinus atrox, quod factum est hôc loco. Cum Iason ab homicidio se purgavisset et corpus mortuum sepelivisset, Medea face dedit Argonautis signum compositum. Qui navem suam posuerunt iuxta illam, qua Absyrtos ad Insulam Dianae venerat, et tamquam accipitres in columbarum examina irruunt aut leones in greges ovium, irruerunt in Absyrti comites duce privatos. Nemo mortem effûgit. Iason suos adiuturus sero apparuit, nam victoria iam erat parta.

**MYTHUM ARGONAUTARUM  
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS  
NICOLAUS GROSS**  
<http://www.leolatinus.com/>





**Medea unâ cum Iasone in Iolcum iter faciens fratrem Absyrtum puerum in mare iacit, ut impediât persequentés.** In recessu aspicitur vellus aureum. Pinxit **Herbertus James Draper a.1904** (Titulus : «*The Golden Fleece*», i.e. vellus aureum), qui aliter ac Gustavus Schwab magis sequitur Ovidium quam Apollonium Rhodium; sed Ovidius enarrat facinus omnium atrocissimum: Medeam fratrem *ense perforasse divulsaque membra per agros dissipasse, manûs et caput in scopulo alto proposuisse, ut pater luctu nouo tardaretur et, artûs dum legeret extinctos, triste moraretur iter* (v. carmen infra allatum!).

## QUID OVIDIUS SCRIBAT DE MORTE ABSYRTI FRATRIS MEDEAE

### OVIDIUS, TRISTIA III,9

Hic quoque sunt igitur Graiae (quis crederet?) urbes  
inter inhumanae nomina barbariae?

Huc quoque Mileto missi uenêre coloni,  
inque Getis Graias constituêre domos?

Sed uetus huic nomen, positaque antiquius urbe,  
constat ab Absyrti caede fuisse loco.

Nam rate, quae curâ pugnacis facta Mineruae  
per non temptatas prima cucurrit aquas,  
impia desertum fugiens Medêa parentem  
dicitur his remos applicuisse uadis.

Quem procul ut uidit tumulo speculator ab alto,  
"hospes," ait "nosco, Colchide, uela, uenit."

Dum trepidant Minyae, dum soluitur aggere funis,  
dum sequitur celeres ancora tracta manus,  
conscia percussit meritorum pectora Colchis  
ausa atque ausura multa nefanda manu;  
et, quamquam superest ingens audacia menti,  
pallor in attonitae uirginis ore fuit.

Ergo ubi prospexit uenientia uela "tenemur,  
et pater est aliqua fraude morandus" ait.

Dum quid agat quaerit, dum uersat in omnia uultus,  
ad fratrem casu lumina flexa tulit.

Cuius ut oblata est praesentia, "uicimus" inquit:  
"hic mihi morte suâ causa salutis erit."

Protinus ignari nec quicquam tale timentis  
innocuum rigido perforat ense latus,  
atque ita diuellit diuulsaque membra per agros  
dissipat in multis inuenienda locis.

Neu pater ignoret, scopulo proponit in alto  
pallentesque manus sanguineumque caput,  
ut genitor luctuque nouo tardetur et, artûs  
dum legit extinctos, triste moretur iter.

Inde Tomis dictus locus hic, quia fertur in illo  
membra soror fratris consecuisse sui.

### OVIDIANUM CARMEN EXCERPSIT

Nicolaus Groß



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

## VOCABULA AUTURGICA (IV)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hęc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hęc loco praebeamus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.AUTURGIA ET HORTICULTURA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas AUTURGIAE partem tertiam (III) Latinis vocabulis ditificatam.

Nicolaus Groß



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

theodiscē	anglicē	francogallicē	hispanicē	italicē	Latinē
Lötlampe	blowtorch	lampe à souder	soplete	saldatore	<b>facula *solidātōria</b>
Einweg-Brennstoff-flasche	disposable gas cylinder	cartouche jetable	bombona de gas	bombola del gas	<b>lagoena *gāsica</b>
Punktbrenner	pencil point tip	brûleur flamme crayon	boquilla del soplete	ugello	<b>*stýlopyrogenum, -ī n.</b>
Bügelsäge	hacksaw	scie à métaux	sierra para metales	seghetto	<b>serra metallāria</b>
p.315 Rohrzangen	wrenches	clés	llaves	chiavi	<b>forcipēs clāvifōrmēs</b>
Einhand-Rohrzange	pipe wrench	clé à tuyau	llave inglesa	giratubi	<b>forceps tubāria</b>
Bandschlüssel	strap wrench	clé à sangle	llave de cincho	chiave a nastro	<b>forceps lōrāta</b>
Ketten-rohrzange	chain pipe wrench	clé à chaîne	llave de cadena	chiave a catena	<b>forceps tubāria catēnāta</b>
Rollgabel-schlüssel für Vierkant	square-jawed adjustable spanner	clé à crémaillère	llave ajustable	chiave regolabile	<b>clāvis rēgulābilis</b>
Standhahn-Muttern-schlüssel	plumbing wrench	clé coudée a tuyau	llave de fontanero	chiave regolabile da lavandino	<b>clāvis rēgulābilis epitonū</b>
Maurerwerkzeuge	masonry tools	maçonnerie: outils	albañilería: herramientas	attrezzi da muratore	<b>īnstrūmenta mūrātōris</b>
Maurerhammer	bricklayer's hammer	marteau de maçon	martillo de albañil	martello da muratore	<b>malleus mūrārius</b>
Kartuschen-pistole	caulking gun	pistolet à calfeutrer	pistola para calafateo	pistola turapori	<b>*pistolium *expressōrium</b>
Kartusche	cartridge	cartouche	cartucho	cartuccia	<b>conceptāculum (expressōrium)</b>
Düse	nozzle	buse	boquilla	ugello	<b>*spargibulum, -ī n.</b>
Spitze	tip	bec	punta	punta	<b>apex, apicis m.</b>
Pistole	gun	pistolet	pistola	pistola	<b>*pistolium, -īī n.</b>
Presshebel	piston lever	levier du piston	gatillo	leva del pistone	<b>vectculus embolī</b>
Drückerbügel	piston release	dégagement du piston	desenganchador	disinnesto del pistone	<b>manucla embolī</b>
Maurerkelle	mason's trowel	truelle de maçon	paleta de albañil	cazzuola da muratore	<b>trulla, -ae f. mūrāria</b>
Angel	tang	soie	espiga	codolo	<b>cardō, cardinis m.</b>
Griff	handle	manche	mango	manico	<b>manubrium, -īī n.</b>
Blatt	blade	lame	hoja	lama	<b>lāmina, -ae f.</b>
Putzkelle	square trowel	truelle de plâtrier	llana	frattazo	<b>trulla lōrīcāria</b>
Fugenkelle	joint filler	tire-joint	paleta de relleno	paletta riempigiunti	<b>trulla iūnctūrārum/ commisūrārum</b>

<b>Aufziehbrett</b>	hawk	taloche	esparavel	sparviero	<b>*pēlophorum</b> , -ī n. cfr ngr. πηλοφόρι
<b>p.316 Elektro- installateur- werkzeuge</b>	electricity tools	électricité: outils	electricidad: herramientas	attrezzatura elettrica	<b>īnstrūmenta</b> <b>*ēlectrūrgica</b>
<b>Multimeter</b>	multimeter	multimètre	voltmetro	multimetro	<b>*polymetrum</b> , -ī n.
<b>Messspitze</b>	probe	fiche	varilla de contacto	puntale	<b>apex mēnsōrius</b>
<b>Automanual- umschalter</b>	auto/manual selector	lecture automatique/ manuelle	selección auto/manual	selettore automatico	<b>*metagōgium</b> <b>*automanuāle</b>
<b>Messkabel</b>	flex	cordon	cable	cordone	<b>capulum</b> <b>mēnsōrium</b>
<b>Bereichs- umschalter</b>	function selection switch	commutateur	selector	commutatore	<b>*metagōgium</b> <b>fūnciōnāle</b>
<b>Messdaten- speicher</b>	data hold	mémorisation des données	retención de datos	memoria dati	<b>conditōrium</b> <b>datōrum</b>
<b>Digitalanzeige</b>	digital display	afficheur numérique	registro digital	visualizzatore digitale	<b>*vīsificium</b> <b>digitāle</b>
<b>Gehäuse</b>	housing	boitier	caja	cassa	<b>capsa</b> , -ae f.
<b>Spannungs- prüfer</b>	tester screwdriver	vérificateur de tension	detector de tensión	cercafase	<b>*probāculum</b> <b>tēnsiōnis</b>
<b>isolierte Klinge</b>	insulated blade	lame isolée	vástago aislado	lama isolata	<b>lāmina īnsulāta</b>
<b>Isolierter Griff</b>	insulated handle	manche isolé	mango aislado	manico isolato	<b>manubrium</b> <b>īnsulātum</b>
<b>Glimmlampe</b>	neon lamp	lampe au néon	lámpara de neón	lampada al neon	<b>lampas *neonica</b>
<b>Durchgangs- prüfer</b>	continuity tester	vérificateur de continuite	detector de continuidad	tester di continuità	<b>*probāculum</b> <b>continuitātis</b>
<b>Prüflampe</b>	test-lamp	vérificateur de circuit	lampara de prueba de neón	lampada provacircuiti	<b>lampas circuitūs</b> <b>probandī</b>
<b>Steckdosen- prüfer</b>	socket tester	vérificateur de prise de courant	probador de contactos con tierra	tester di presa	<b>*probāculum</b> <b>capsae contactūs</b>
<b>Hoch- spannungs- prüfer</b>	high-voltage tester	vérificateur de haute tension	detector de alta tensión	tester dell'alta tensione	<b>*probāculum</b> <b>tēnsiōnis altae</b>
<b>Handlampe</b>	inspection light	baladeuse	linterna movable	lampada portatile a gabbia	<b>lampas portābilis</b>
<b>Haken</b>	hook	crochet	gancho	gancio	<b>uncus</b> , -ī m.
<b>Reflektor</b>	reflector	réflecteur	reflector	riflettore	<b>*reflectrum</b> , -ī n.
<b>Glühbirne</b>	bulb	lampe	bombilla	lampadina	<b>bulbus ēlectricus</b>
<b>Schutzgitter</b>	guard	grillage de protection	reja	gabbia di protezione	<b>cratis prōtēctōria</b>
<b>Zusatz- steckdose</b>	convenience outlet	prise de courant	enchufe	presa di corrente	<b>capsa contactūs</b> <b>additicia</b>
<b>Griff</b>	handle	manche	mango	impugnatura	<b>manubrium</b> , -īī n.

<b>Kabel</b>	flex	cordon	cable	cordone	<b>capulum, -ī n.</b>
<b>p.317 Mehrzweck- zange</b>	multipurpose tool	pince universelle	pinzas multiuso	pinza multiuso	<b>forceps ūniversālis</b>
<b>Drehzapfen</b>	pivot	pivot	pivote	perno	<b>cardō, cardinis m.</b>
<b>Drahtschneider</b>	wire cutter	coupe-fil	cortador de alambre	tagliafili	<b>*filisectrum, -ī n.</b>
<b>Abisolierzange</b>	wire stripper	dénude-fil	pinzas pelacables	spelafili	<b>forceps *filinūdātrīx</b>
<b>isolierter Griff</b>	insulated handle	manche isolant	mango aislante	manico isolato	<b>manubrium īnsulātum</b>
<b>Hammer</b>	hammer	marteau d'électricien	martillo	martello	<b>malleus *ēlectrūrgicus</b>
<b>Kombizange</b>	combination pliers	pince d'électricien	alicates de electricista	pinza universale	<b>forceps *ēlectrūrgica</b>
<b>Backen</b>	jaw	mâchoire	mordaza	ganascia	<b>maxilla, -ae f.</b>
<b>Draht- schneidezange</b>	wire cutter	coupe-fil	cortador de alambre	tagliafili	<b>forceps *filisectrīx</b>
<b>Drehzapfen</b>	pivot	pivot	pivote	perno	<b>cardō, cardinis m.</b>
<b>isolierter Griff</b>	insulated handle	manche isolant	mango aislante	manico isolato	<b>manubrium īnsulātum</b>
<b>Sicherungs- zieher</b>	fuse puller	pince à fusible	extractor de fusibles	pinza per fusibili	<b>forceps *asphalistrōrum</b>
<b>Kabel- abisolierer</b>	wire stripper	dénudeur de fil	pelacables	spelafili	<b>*filinūdābulum, -ī n.</b>
<b>Messer</b>	cutter	couteau d'électricien	cuchilla	coltello	<b>culter *ēlectrūrgicus</b>
<b>Kabeltülle</b>	wire nut	capuchon de connexion	capuchón de plástico	proteggicavo	<b>+caputium *capulāre</b>
<b>Einziehdraht</b>	fish wire	câble de traction	guía pasacables	cavo di trazione	<b>capulum tractile</b>
<b>Spitzzange</b>	needle-nose pliers	pince à long-bec	alicates de punta	pinza a becchi lunghi	<b>forceps *longirōstris</b>
<b>Ab- isolierzange</b>	wire stripper	pince à dénuder	pinzas pelacables	pinza spelafili	<b>forceps *filinūdātrīx</b>
<b>Stellschraube</b>	adjustment wheel	molette de réglage	tornillo de ajuste	vite di regolazione	<b>cochlea *rēgulātōria</b>
<b>p.318 Löt- und Schweiß- werkzeuge</b>	soldering and welding tools	soudage: outils	herramientas de soldadura	attrezza di brasatura e saldatura	<b>īnstrūmenta *solidātōria</b>
<b>Lötpistole</b>	soldering gun	pistolet à souder	pistola para soldar	saldatore a pistola	<b>*pistolium *solidātōrium</b>
<b>Lötspitze</b>	tip	panne	punta	punta	<b>apex *solidātōrius</b>
<b>Heizelement</b>	heating element	élément chauffant	resistencia	elemento riscaldante	<b>elementum calefactōrium</b>

<b>Ein-/Ausschalter</b>	on-off switch	interrupteur	interruptor	interruttore	<b>*diacoptron</b> , -ī n.; <b>*mūtāmen</b> , -īnis n.
<b>Kabelmantel</b>	flex sleeve	manchon du cordon	protector del cable	manicotto del cordone	<b>manica</b> <b>*capulāris</b>
<b>Gehäuse</b>	housing	boîtier	caja	cassa	<b>capsa</b> , -ae f.
<b>Pistolengriff</b>	pistol grip handle	poignée-pistolet	mango	impugnatura a pistola	<b>manubrium</b> <b>*pistolī</b>
<b>LötKolben</b>	soldering iron	fer à souder	soldador	saldatore elettrico	<b>*solidāculum</b> , -ī n.
<b>Lötzinn</b>	solder	soudure	estaño de soldar	filo per saldatura	<b>filum</b> <b>*solidātōrium</b>
<b>Düsenreiniger</b>	nozzle cleaner	aiguilles de nettoyage	limpiador de boquillas	alesatori per la pulizia degli ugelli	<b>acūs pūrgātōriae</b>
<b>Schutzschirm</b>	welding curtain	écran de soudeur	biombo para soldar	schermo di protezione	<b>umbrella</b> <b>*solidātōria</b>
<b>Anzünder</b>	striker	briquet	encendedor	acciarino	<b>*accēnsiculum</b> , -ī n.
<b>Reibfläche</b>	friction strip	frottoir	frotador	striscia di sfregamento	<b>lacinia frictoria</b>
<b>Feuerstein</b>	flint	pierre	pedernal	pietra focaia	<b>pyrolithus</b> , -ī m.
<b>Elektroschweißen</b>	arc welding	soudage à l'arc	equipo de soldadura eléctrica	saldatura ad arco	<b>solidātiō arcuāta/ēlectrica</b>
<b>Elektrodenhalter</b>	electrode holder	porte-électrode	pinza del electrodo	portaelettrodo	<b>tenāculum</b> <b>*ēlectrodī</b>

Haec vocabula auturgica  
excerpsit et in Latinum convertit  
**Nicolaus Groß**  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA AUTURGICA (V)

**IN ANNUM INEUNTEM**

**CARA LECTRIX, CARE LECTOR,**

**IN ANNUM**

**MMXIII**

**BIS MILLESIMUM TERTIUM DECIMUM**

**INEUNTEM**

**LEO LATINUS**



**OPTIMA QUAEQVE TIBI EXOPTAT.**

**PANCRATICE VALE ET PERGE  
NOBIS FAVERE !**







**HANC EPISTULAM LEONINAM  
QUINQUAGESIMAM SECUNDAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**anno 2013 ineunte**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**